

R. br. Spécie tuâ • Et pulchritudine tuâ. Spécie tuâ. **V.** Intende, prospere procede, & regna. Et pulchritudine. Gloria Patri. Spécie tuâ. **V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam, Antiphona.
Cæcilia famula tua.

Capitulum. 2. Cor. 11.

A Mulor enim vos Dei amulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

R. breve. Adjuvabit eam • Deus vultu suo. Adjuvabit. **V.** Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus vultu. Gloria Patri. Adjuvabit. **V.** Elegit eam Deus, & praelégit eam. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam, Antiphona.
Triduana.

Capitulum. Ecli 51. 8

Domine Deus meus, exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente de precata sum. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meae, & in tempore superborum sine adjutorio.

R. breve. Elegit eam Deus, • Et praelégit eam. Elegit eam. **V.** In tabernaculo suo habitare facit eam. Et praelégit. Gloria Patri. Elegit eam. **V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Vesperas, Antiphona. Cantantibus organis, cum reliquis de Laudibus. 751. Psalmi de Virginitate. Ixvij. **Capitulum.** Fratres, qui gloriantur. **Hymnus.** Jesu, corona Virginum, ut supra in Laudibus. **V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gererat in pectore suo, & non diebus neque noctibus à colloquiis divinis & oratione cessabat.

Oratio. Deus qui nos, ut supra. 751.

Et fit Commemoratio Sancti Clementis, ut infra.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.
In Festo Sancti Clementis Papæ & Martyris. Semiduplex.

Si ob aliquam causam contigerit primas Vesperas hujus Festi integras dici, tunc dicitur **Añs.** **Orante Sancto Clemente, cum reliquis de Laudibus, ut infra.** **Psalmus.** Dixit Dominus, cum reliquis de Dominicis 94. & loco ultimi. **Laudate Dominum omnes Gentes.** 97. **Capit.** **Hymnus, & V.** de Comm. unius Mart. xvij. **Añs.** ad Magnificat, & **Oratio, ut sequitur.**

Antiphona. **Q**uemus omnes ad Dominum Jesum Christum, ut confessoribus suis fontis venam aperiat. **V.** Gloria & honore coronasti eum Domine. **R.** Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

Deus, qui nos annua beati Clementis Martyris tui atque Pontificis sollemnitate lætificas: concede propitius; ut cujus natalicia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum.

Postea fit Commemoratio S. Felicitatis Martyris, **Añs.** Simile est regnum celorum homini negotiatori querenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam. **V.** Spécie tuâ & pulchritudine tuâ. **R.** Intende, prospere procede, & regna.

Oratio.

Ræsta, quæsumus omnipotens Deus; ut beate Felicitatis Martyris tuæ sollemnia recensentes, mé-

ri-

ritis ipsius protegámur, & precibus. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum, omnia usque ad Lectiones de Comuni unius Martyris. xvij.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolorum.

LECTIO j. Cap. 20. 3

A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quomodo nihil subtraxerim utilium, quò minus annuntiarerem vobis, & docerem vos publice, & per domos, testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum penitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: Quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosorem quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.

R. **Orante Sancto Clemente, apparuit ei Agnus Dei:** • De sub cuius pede fons vivus emanat, fluminis imperus lætificat civitatem Dei. **V.** Vidi supra montem Agnum stantem. De sub.

LECTIO ij.

ET nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapro-

Part. Activa.

pter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annuntiarer omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi. Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes: quoniam per triennium nocte & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

R. Omnes una voce dixerunt: Ora pro nobis Sancte Clemens. • Ut digni efficiamur promissionibus Christi. **V.** Non meis meritis ad vos me misit Dominus vestris coronis participem fieri. Ut digni.

LECTIO iij.

ET nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est edificare, & dare hereditatem in sanctificationibus omnibus. Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatus est magis dare, quam accipere. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maxime in verbo, quòd dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

R. Dediti Domine habitaculum

Bbb

Mar

Martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei, Angelicis manibus preparatum: Iter præbens populo terræ, ut enarrent mirabilia tua. **V.** Dedisti Domine sanctis tuis viam in mari, & in fluminibus semitam. Iter præbens. Gloria Patri. Iter præbens.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Clemens Romanus, Faustini filius, de regione Cæli montis, discipulus beati Petri, cujus meminit Paulus scribens ad Philippenses: Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas que mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vite. Hic septem Urbis regiones divisit septem Notariis, singulas singulis attribuens, qui passionem Martyrum, & res ab eis gestas diligentissime conquistis litteris mandarent. Multa scripsit & ipse accuratè & salutariè, quibus christianam religionem illustravit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & ad seductibus tutavit illum: **V.** Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

Cum autem doctrinæ ac vite sanctitate multos ad Christi fidem converteret, à Trajano Imperatore relegatus est trans mare Ponicum in solitudine urbis Chersonæ, in qua duo millia Christianorum reperit, qui ab eodem Trajano condemnati fuerant. Qui cum in eruendis & secandis marmoreis aquæ penuria laboraret, Clemens facta oratione, in vicinum collem ascendit, in cuius iugo vidit Agnum

ad dextro pede fontem aquæ dulcis, qui inde scatebat, attingentem, ubi omnes sitim expleverunt: eoque miraculo multi infideles ad Christi fidem conversi, Clementis etiam sanctitatem venerari cœperunt.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, **V.** Et voluntate laborum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio vi.

Quibus concitatus Trajanus, misit illum, qui Clementem alligatâ ad ejus collum anchorâ, in profundum dejicerent. Quod cum factum esset, Christianis ad littus orantibus, mare ad tria miliaria recessit: eoque illi accedentes, ædiculam marmoream in templi formam, & intus arcam lapideam, ubi Martyris corpus conditum erat, & juxta illud anchoram, quâmersus fuerat, invenerunt. Quo miraculo incolæ permoti, Christi fidem susceperunt. Ejus corpus postea Romam, Nicolao Primo Pontifice, translatum, in Ecclesia ipsius Sancti Clementis conditum est. Ecclesia etiam in eo insulæ loco, unde divinitus fons manarat, ejusdem nomine dedicata est. Vixit in Pontificatu annos novem, menses sex, dies sex. Fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros decem, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca quindecim.

R. Stola jucunditatis induit eum Dominus: **V.** Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dominus pane vite & intellectus: & aquâ sapientiæ salutaris poravit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et.

In

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio vij. *Cap. 24. d.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Math. can. 26.

in fine.

Ut ignorantiam illam diè omnibus taciti, non sine utilis silentii ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus propter adventum furis admonuit, & orationum assiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inherere. Furem enim esse ostendit zabalum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem: ut ea incuriosis nobis, & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum jaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit: quia diè ignorantio intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitat.

R. Corona aurea super caput ejus, **V.** Expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. **V.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio vij. *Can. 27.*

Quisnam est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Quamquam in communi nos ad indefessam vigilantiam curam adhortetur: specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis, in expectatione adventuæ suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem, præpositum familie significat, commoda

atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens, & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vite in æternitatis cibum alendæ familie dispandat, atque hac agens, hisque immorans deprehendatur: gloriam à Domino tamquam dispensator fidelis, & villicus utilis consequetur, & super omnia bona constituetur: id est, in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit ultra, quod melius sit.

R. Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: **V.** Qui minas iudicium non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quaesivit, sed ad cælestia regna pervenit. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Pro Sancta Felicitate Martyre.

Sermo Sancti Gregorii Papæ.

Ex Homilia 3. in Evangelia.

Lectio ix.

Beatâ Felicitæ, cujus hodiè natalitia celebramus, septem filios sic post se tenuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent mettere, ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roboravit, & parturivit spiritu, quos carne pepererat, ut prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Numquid ergo hanc sceminam martyrem dixerim? Sed plus quam matrem: quæ septem pignoriibus ad regnum præmissis, tot ante se mortuos transmisit. Ad pœnam prima venit, sed pervenit octava.

Te Deum laudamus. 12.

Bbb 2

AD

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.
Orante Sancto Clemente, apparuit ei Agnus Dei. Psalm. Dominus regnavit, cum reliquis. 13. Antiphona. Non meis meritis ad vos me misit Dominus, vestris coronis participem fieri. Antiphona. Vidi supra montem Agnum stantem, de sub cuius pede fons vivus emanat. Antiphona. De sub cuius pede fons vivus emanat, fluminis impetus laetificat civitatem Dei.

Antiphona. Omnes gentes per gyrum crediderunt Christo Domino.

Capitulum. *Jacobi 1. d.*
Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit Deus diligentibus se.

Hymnus.

Invicte Martyr, unicum
Patris secutus Filium,
Victor triumphas hostibus,
Victor fruens caelestibus.

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vite repellens tedium.
Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinculis saeculi
Dono superni Numinis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne saeculum.
Amen.

Y. Justus, ut palma florebit.
R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus, Antiphona.
Cum iter ad mare cepisset, populus voce magna clamabat: Domine Jesu Christe, salva illum: & Clemens cum lacrymis dicebat: Suscipe Patrem spiritum meum.

Oratio.

Deus, qui nos annua beati Clementis Martyris tui atque Pontificis solemnitate laetificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum.

Deinde fit Commemor. S. Felicitatis, Añā. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Y. Diffusa est gratia in labiis tuis. R. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Oratio. Praesta, quaesumus omnipotens, ut sup. 752.

Ad Tertiam, Antiphona. Non meis meritis. Capitulum. Beatus vir, qui suffert, ut supra.
R. breves. Gloria & honore * Coronasti eum Domine. Gloria & honore. Y. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Coronasti. Gloria Patri. Gloria & honore.
Y. Posuisti Domine super caput ejus.
R. Coronam de lapide pretioso.

Ad Sextam, Antiphona.
Vidi supra montem.

Capitulum. *Ecclesi 15.*
Cibavit illum pane vite & intellectus, & aqua sapientiae salutaris potavit illum Dominus Deus noster.

R. br. Posuisti Domine, * Super caput ejus. Posuisti. Y. Coronam de lapide pretioso. Super. Gloria Patri. Posuisti. Y. Magna est gloria ejus in salutari tuo. R. Gloriam & magnum decorem impones super eum.

Ad Nonam, Antiphona.
Omnes gentes.

Capitulum. *Ecclesi 39.*
Iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

R. breves. Magna est gloria ejus in salutari tuo. Magna. Y. Gloriam

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris: ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Joannes a Cruce Fontiberi in Hispania piis parentibus natus, a primis annis certo innouit, quam Deipara Virgini futurus esset acceptus: nam quinquennis in puteum lapsus, ejusdem Deipara manu sublatus, incolumis evasit: tanto autem patienti desiderio flagravat, ut novennis, spreto molliori lecto, super sarmantis cubare consueverit. Adulescens hospitio pauperum aegrotantium Metymnæ Campi famulum sese addixit, quibus magno charitatis ardore, vilissima quæque completens officia, praesto aderat; cujus exemplo excitati ceteri eadem charitatis munera ardentius obibant. Verum ad altiora vocatus, beate Mariae Virginis de Monte Carmelo Institutum amplectus est; ubi, Sacerdos ex obedientia factus, severioris disciplina, & arctioris vitae cupidissimus, primitivam Ordinis Regulam ex Superioris licentia ita professus est, ut ob jugem Dominicae Passionis memoriam, bello in se, tanquam in infensissimum hostem, indicto, vigilis, jejuniis, ferreis flagellis, omnique poenarum genere, brevi carnem cum vitis, & concupiscentiis suis crucifixerit: dignus plane, qui a Sancta Theresia inter puriores, sanctorisque animas Ecclesiam Dei id temporis illustrantes recenseretur.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, &

riam & magnum decorem impones super eum. In salutari. Gloria Patri. Magna est. Y. Justus, ut palma florebit. R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Vespera de sequenti, Commemor. precedentis, & S. Chrysogoni, ut infra.

Sed si contigerit ob aliquam causam diei ij. Vesper. Festi S. Clementis integras, tunc dicitur, Antiphona Orante Sancto Clemente, cum reliquis de Laudibus. 756. Psalmus Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, 94. & loco ultimi, Psalmus Credidi. 96.

Capitulum. Beatus vir. Hymnus. Deus tuorum. Y. Justus, ut in Communi unius Martyr. xvijj. Ad Magnificat, Antiphona.

Dedisti Domine habitaculum Martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei, Angelicis manibus preparatum, iter praebens populo terræ, ut enarrent mirabilia tua.

Oratio. Deus, qui nos, ut supra. 756.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Joannis a Cruce Confessoris Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, Iv. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno mutatur tertius Versus.

Oratio.

Deus, qui Sanctum Joannem Confessorem tuum perfectæ sui abnegationis, & Crucis amatorum eximium effecisti: concede, ut ejus imitationi jugiter inhaerentes, gloriam assequamur aeternam. Per Dominum nostrum.

Et fit Commemor. precedentis. Deinde S. Chrysogoni Martyris Añā. Iste Sanctus. Y. Gloria & honore.

& à seductóribus tutávit illum: Et dedit illi claritatem æternam. **Y.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei, Et dedit.

Lectio v.

Singulari vitæ austeritate, & ómnium virtutum prasidio munitus, præ assidua rerum divinárum contemplatione diuturnas, & mirabiles extases frequenter patiebatur: tantòque in Deum æstuábat amore, ut, cum divinus ignis sese intrò diutius continere non posset, foras erumpere, ejusque vultum irradiare visus sit. Proximórum salutis sumopere intentus, tum in verbi Dei prædicatione, tum in Sacramentórum administratione fuit assiduus. Hinc tot méritis auctus, strictiorisque disciplinæ promovendæ ardore vehementer accensus, Sanctæ Theresiæ comes divinitus datus est, ut, quam ipsa inter Soróres primævam Carméli Ordinis observántiam instauraverat, eandem & inter Fratres, Joanne adjutore, restitueret. Innumeros itaque uná cum Dei famula in divino opere promovendò perpessus labores, Cœnobía, quæ ejusdem Sanctæ Virginis cura per totam Hispaniam erecta fuerant, nullis vitæ incommodis, & periculis territus, singula perustravit, in quibus, alisque quamplurimis ejus operá erectis, restaurátam observántiam propagando, verbo & exemplo firmavit: ut mérito primus post Sanctam Theresiam Carmelitarum Excalceatorum Ordinis Professor, & Pares habeatur.

R. Amavit eum Dominus, & ornávit eum: stolam gloriæ induit eum. • Et ad portas paradisi coronávit eum. **Y.** Induit eum Dominus lorícam fidei, & ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

Virginitatem perpétuò coluit, impudentesque mulieres ejus pudicitia insidiari conantes, non modò repulit, sed etiam Christo lucrificavit. In divinis explicandis arcanis aequè ac Sancta Theresia, Apostólicæ Sedis judicio, divinitus instructus, libros de mystica Theologia celestis sapientiá refertos conscripsit. Semel interrogátus à Christo, quid præmii pro tot laboribus pòsceret, respondit: Dómine, patri, & contemni pro te. Império in daemones, quos è corpóribus sæpè fugábat, discretiõne spirituum, prophetiæ dono, miraculorum gloriá celebratissimus: eá semper fuit humilitate, ut sæpius à Dómino flagitáverit eo loco mori, ubi ómnibus esset ignótus. Voti compos factus, Ubædæ diro morbo, & in cruce quinque plagis sanie manántibus, ad impléndum patiendí desiderium constantissimè toleráti, Ecclesiæ Sacramentis piè, sanctæque susceptis, in Christi crucifixi amplexu, quem semper in corde, atque ore habierat, post illa verba: In manus tuas commendo spiritum meum, obdormivit in Dómino, die, & horá à se prædictis, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis quadragésimo nono. Migrántem ejus animam splendidissimus ignis globus excepit; corpus verò suavissimum odorem spirávit, quod etiánnun incorruptum Segóviæ honorificè colitur. Eum plurimis ante, & post óbitum fulgéntem signis Benedictus Decimus-tértius Pontifex Maximus in Sacetórum número rétulit.

R. Iste homo perfecit ómnia quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: • Quia te vidi justum coram me ex ómnibus gentibus. **Y.** Iste est qui contempsit

vi-

vitam mundi, & pervénit ad cœlestia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno. Homilia Sancti Gregórii Papæ in Evangelium Sint Iumbi vestri, de Communi Confessoris non Pontificis. Ixj. Pro S. Chrysogono Martyre.

Lectio ix.

Chrysogonus, Diocletiano Imperatore, Romæ inclusus in carcere, ibi biennium Sanctæ Anastasiæ facultatibus vixit, quam etiam afflictam propter Christum à viro suo Páblo, propterea que à suis orationibus per litteras auxilium postulátem, mutuis epistolis est consolatus. Sed cùm Imperátor Romam scripsisset, ut reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfecit, Chrysogonus Aquileiam ad se mitterétur, eo perdictus est. Cui Imperátor: Accersivi, inquit, te, Chrysogone, ut honoribus augeam, si modò indixeris ánimum deos colere. At ille: Ego eum, qui verè est Deus, mente & oratione véneri: deos autem, qui nihil sunt nisi daemorum simulacra, odi, & execror. Quo respónso exandescens Imperátor, ad Aquas Gradatas eum securi percussit, paulò post in litore inventum, Zóilus Presbyter in suis ædibus sepelivit.

Te Deum laudámus. 12.

In Laudibus fit Commemoratio S. Chrysogoni Mart. Añæ. Qui odit Y. Justus.

Vesperæ à Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis.

DIE XXV. NOVEMBRIS.

In Festo Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum.

lxvij. præter ea, quæ sequuntur propria.

Oratio.

DEus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, & in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ Virginis & Martyris tuæ mirabiliter collocasti: præsta quæsumus; ut ejus méritis & intercessione, ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Catharina, nobilis virgo Alexandrina, à prima ætate studia liberalium artium cum fidei ardore conjungens, brevi ad eam sanctitatis & doctrinæ perfectionem pervénit, ut decem & octo annos nata, eruditissimum quemque superaret. Quæ cùm Maximini jussu multos propter Christianæ religionis professionem variè tormentis cruciatus, ad supplicium rapi vidéret; non dubitánte ipsam adit Maximinum obiectens, sapientissimis rationibus Christi fidem ad salutem necessariam esse affirmávit.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: • Et deducet te mirabiliter dextera tua. **Y.** Spécie tuá & pulchritudine tuá inténde, prospère procéde, & regna. Et dedit.

Lectio v.

Cujus prudentiam Maximinus admirátus, retineri eam jubet, accersitis indique doctissimis hominibus, magnisque propòsitis præmiis, qui convictam Catharinam à Christi fide ad idolórum cultum perduxissent. Quod contrá accidit.

Bbb 4

Nam

Nam plures Philosophi, qui ad eam coarguendam convenerant, vi ac subtilitate ejus disputationis tantum Jesu Christi amore sunt incensi, ut pro illo mori non dubitarent. Quamobrem Maximinus blanditiis ac promissis Catharinam de sententia deducere aggreditur: verum id frustra fieri intelligens, verberibus affectam, plumbatisque contusam, dies undecim sine cibo ac potu inclusam tenet in carcere.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.

V. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio ij.

Quo tempore Maximini uxor, & Porphyrius belli dux, visende virginis causâ carcerem ingressi, & ejusdem prædicatione in Jesum Christum credentes, postea martyrio coronati sunt. Interim Catharina edocuit de custodia, & rota expeditur crebris & acutis præfixa gladiis, ut virginis corpus crudelissime dilaceraretur. Quæ machina brevi, Catharinæ oratione, confracta est; eoque miraculo multi Christi fidem suscepunt. Ipse Maximinus in impietate & crudelitate obstinatur, Catharinam securi percussit imperat. Quæ fortiter dato capite, ad duplicatum virginitatis & martyrii præmium evolavit, septimo Kalendas Decembris: cujus corpus ab Angelis in Sinâ Arabiæ monte mirabiliter collocatum est.

R. Afferentur Regi virgines post eam, proxime ejus. * Afferentur tibi in lætitiâ & exultatione.

V. Spécie tuâ & pulchritudine tuâ intendere, prospere procede, & regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In *lij.* Nocturno, *Honilia S. Gre-*

gorii Papæ in Evangelium Simile erit regnum cælorum, ut in Comuni Virginum. *lxxv.*

In *ij.* Vesperis fit Commemor. S. Petri Episcopi & Martyris.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. Petri Episcopi & Martyris.
Añ. Iste sanctus. **V.** Glória & honor.

Oratio. Infirmittatem, ut in Communi unius Martyris *xvij.*

Lectio ij.

Petrus Episcopus Alexandriæ, post Theonam virum sanctissimum, sanctitatis & doctrine splendore non solum illustravit Egyptum, sed toti luxit Ecclesiæ Dei. Qui in persecutione Maximiani Galerii illam temporum acerbittatem ita pertulit, ut multi admirabilem ejus patientiam intuentibus, plurimum in Christiana virtute proficerent. Is primus Arium Diæconum Alexandrinum, propter schisma Meletianum, qui favebat, à fideliû communionem sejunxit. Ad eum capitis ab eodem Maximiano damnatum in carcere, cum Achillas & Alexander Presbyteri deprecatores Arii venissent, respondit: Nocent apparuisse sibi Jesum veste discissâ, causamque rei sciscitanti, dixisse: Arius vestem meam, quæ est Ecclesiâ, dilaceravit. Quibus etiam prædicens fore, ut sibi in Episcopatu succederent, præcepit, ne unquam Arium in communionem recipere, quem Deo mortuum esse sciret. Et hanc divinam prænotionem veram fuisse, non diu post rei probavit eventus. Denique duodécimo sui Episcopatus anno, sexto Kalendas Decembris: abscisso capite, ad martyrii coronam evolavit.

Te Deum laudamus. 12.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

S. Saturnini Mart. Commemoratio.
Ad Vesperas, Añ. Iste Sanctus.

V. Glória & honor.

Oratio.

Deus, qui nos beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfui: ejus nos tribue méritis adjuvari. Per Dóminum.

IN VIGILIA

Sancti Andreæ Apostoli.

Officium fit de Feria. ut dictum est in Rubricis generalibus, cum Homilia & Oratione de Vigilia, ut infra.

Si Festum Sancti Andreæ venerit **Feria ij.** de Vigilia fit Officium in Sabbato præcedenti, & Commem. Sancti Saturnini in Dominica.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio ij.

In illo tempore: Stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Tractatu 7. in Joannem, post initium.*

Quia talis erat Joannes amicus sponsi, non quærebat glóriam suam, sed testimonium perhibebat veritati: numquid voluit apud se remanere discipulis suis, ut non sequerentur Dóminum? Magis ipse ostendit discipulis suis quem sequerentur: habebant enim illum tanquam agnum. Et ille: Quid me attenditis? Ego non sum agnus. Ecce Agnus Dei. De quo & superius dixerat: Ecce Agnus Dei. Et quid nobis prodest Agnus Dei? Ecce, ait, qui tollit peccatum mundi. Secuti sunt illum, hoc audito, duo qui erant cum Joanne.

Responsoria de Feria occurrente

Lectio ij.

Videamus sequentia. Ecce Agnus Dei. Hoc Joannes. Et au-

diérunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum. Non sic illum sequebantur, quasi jam ut inhaerent illi: nam manifestum est, quando illi inhaeserunt, quia de navi eos vocavit. In his enim duobus erat Andréas, sicut modò audistis. Andréas, autem frater Petri erat. Et novimus in Evangelio quod Petrum, & Andréam Dóminus de navi vocavit, dicens: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Et ex illo jam inhaeserunt illi, ut non recederent.

Lectio ij.

Modò ergo quod illum sequuntur isti duo, non quasi non necessarij sequantur, sed videre voluerunt ubi habitaret, & facere quod scriptum est: Limen ostiorum ejus exerat pes tuus: surge ad illum venire assidue, & erudire præceptis ejus. Ostendit eis ille ubi maneret: venerunt, & fuerunt cum illo. Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem! Quis est, qui nobis dicat, quæ audierit illi à Dómino? Adificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum, quod veniat ille, & doceat nos, & colloquatur nobis.

Ad Laudes, ut in Psalterio, & dicuntur Preces Feriales flexis genibus, ut supra. 44.

Oratio.

Quesumus omnipotens Deus, ut beatus Andréas Apostolus, & superius dixerat: Ecce Agnus Dei. Et quid nobis prodest Agnus Dei? Ecce, ait, qui tollit peccatum mundi. Secuti sunt illum, hoc audito, duo qui erant cum Joanne.

Deinde fit Commem. S. Saturnini, Añ. Qui odit. **V.** Justus. **Oratio.** Deus, qui nos, ut supra.

DIE

DIE XXX. NOVEMBRIS.

In Festo S. Andreae Apostoli.
Duplex.

Ad Vesp. ras, Antiphona. Salve
crux pretiosa, cum reliquis de Lau-
dibus. 766. Psalmus. Dixit Dó-
minus, cum reliquis, ut infra in
Communione Apostolorum. j.

Capitulum. Rom. 10. b
Fratres, Corde enim creditur
ad justitiam: ore autem con-
fessio fit ad salutem. Dicit enim
Scriptura: Omnis qui credit in
illum, non confundetur.

Hymnus.

Exultet orbis gaudis,
Cælum resulet laudibus,
Apostolorum glóriam
Tellus & astra concinunt.

Vos sæculorum iudices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.
Qui templa cæli clauditis,
Serasque verbo solvitis,
Nos à reatu noxios
Solve jubete, quaesumus.

Præcepta quorum protinus
Languor salisque sentiunt:
Sanate mentes languidas:
Augete nos virtutibus:

Ut, cum redibit Arbiter
In fine Christus oculi,
Nos sempiterni gaudii
Concedat esse cõpotes.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæculum per omne glória. Amen.

In omnem terram exivit sonus
eorum. **V.** Et in fines orbis terræ
verba eorum.

Ad Magnificat, Antiphona.
Unus ex duobus, qui secuti sunt
Dóminum, erat Andreas frater Si-
monis Petri, alleluia.

Oratio.

Majestatem tuam, Dómine,
suppliciter exoramus: ut, si-
cut Ecclesiæ tuæ beatus Andreas
Apostolus extitit prædicator & rec-
tor; ita apud te sit pro nobis perpé-
turus intercessor. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Apostolorum Dóminum,
Venite, adorémus. Psalm. Venite,
exultémus. i. Hymnus. Aeterna
Christi, ut in Comuni Apost. iij.

In primo Nocturno, Antiphona.
Vidit Dóminus Petrum & An-
dreám, & vocavit eos. Psalm. Cæli
enarrant. iij. **Añã.** Venite post me,
dicit Dóminus, faciam vos fieri pis-
catóres hóminum. Psalm. Benedi-
cam Dóminum. iv. **Añã.** Relictis ré-
tibus suis, secuti sunt Dóminum
Redemptórem. Psalmus. Eructavit
cor meum. v.

In omnem terram exivit sonus
eorum. **V.** Et in fines orbis terræ
verba eorum. Pater noster. **Abso-
lutio.** Exaudi Dómine. **V.** Jube
domne. **Benedictio.** Benedictiõne
perpétua.

De Epistola beati Pauli Apóstoli
ad Romanos.

Lectio j.

Cap. 10.

Inis legis, Christus, ad justí-
tiam omni credenti. Moyses
enim scripsit, quóniam justitiam,
quæ ex lege est, qui fecerit ho-
mo, vivet in ea. Quæ autem ex
fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris
in corde tuo: Quis ascendet in cælum?
id est, Christum deducere.

Aut quis descendet in abyssum? hoc
est, Christum à mórtuis revocare.
Sed quid dicit Scriptura? Propè est
verbum in ore tuo, & in corde tuo:
hoc est verbum fidei, quod prædi-
cámus. Quia si confiteáris in ore tuo
Dóminum Jesum, & in corde tuo
credideris, quod Deus illum susci-
távit à mórtuis, salvus eris.

V. Cùm perambuláret Dóminus jux-
ta mare Galilææ, vidit Petrum &
Andréam rétia mittentes in mare, &
vocavit eos, dicens: Venite post
me, faciam vos fieri piscatóres hó-
minum. **V.** Erant enim piscatóres,
& ait illis. Venite post me. **Bene-
dictio.** Unigenitio Dei Filii.

Lectio ij.

Corde enim creditur ad justí-
tiam: ore autem confessio fit
ad salutem. Dicit enim Scriptura:
Omnis, qui credit in illum, non con-
fundetur. Non enim est distinctio
Judæi & Græci: nam idem Dómi-
nus ómnium, dives in omnes, qui
invocant illum. Omnis enim, qui-
cúmque invocaverit nomen Domini,
salvus erit. Quomodo ergo invoca-
bit, in quem non crediderunt?

Aut quomodo credent ei, quem non
audierunt? Quomodo autem au-
dient sinè prædicante? Quomodo
vero prædicabunt, nisi mittantur?
sicut scriptum est: Quam speciosi
pedes evangelizantium pacem, evan-
gelizantium bona!

Mox ut vocem Dómini prædicán-
tis audivit beatus Andréas, relic-
tibus, quorum usu actúque vivé-
bat, **V.** Aeternæ vitæ secutus est
præmia largientem. **V.** Hic est qui
pro amore Christi pepéndit in cruce,
& pro lege ejus sustinuit passio-
nem. Aeternæ. **Benedictio.** Spiritus
sancti gratia.

Lectio iij.

Ed non omnes obediunt Evan-
gèlio. Isaias enim dicit: Dómi-
ne, quis credidit auditui nostro?
Ergo fides ex auditu, auditus au-
tem per verbum Christi. Sed dico:
Numquid non audierunt? Et qui-
dem in omnem terram exivit sonus
eorum, & in fines orbis terræ verba
eorum. Sed dico: Numquid Israël
non cognóvit? Primus Moyses dicit:
Ego ad æmulationem vos adducam

in non gentem: in gentem insipi-
entem, in iram vos mittam. Isaias autem
quæret, & dicit: Inventus sum à
quodæntibus me: palam apparui iis,
qui me non interrogabant. Ad Is-
rael autem dicit: Totà die expandi
manus meas ad pópulum non cre-
dentem, & contradicentem.

Doctor bonus, & amicus Dei
Andreas dicitur ad crucem, quam
à longe aspiciens dixit: Salve crux,
Suscipe discipulum ejus, qui pe-
péndit in te magister meus Christus.
Salve crux, quæ in corpore
Christi dedicata es: & ex membris
ejus tanquam margaritis ornata.
Suscipe discipulum. Glória Patri.
Suscipe.

In secundo Nocturno, Antiphona.
Dignum sibi Dóminum computavit
Martyrem, quem vocavit Aposto-
lum, dum esset in mari, alleluia.

Psalm. Omnes Gentes, ut in
Comuni Apostolorum. vj. **Añã.** Dilé-
xit Andréam Dóminus in odorem
suavitatis. Psalm. Exaudi Deus de-
precationem. vij. **Añã.** Biduo vivens
pendebat in cruce beatus Andréas
pro Christi nómine, & docebat póp-
ulum. Psalm. Exaudi Deus ora-
tionem. vij. **V.** Constitues eos prin-
cipes super omnem terram. **V.** Mé-
mores erunt nóminis tui Dómine.
Pater noster. **Abolutio.** Ipsius pie-
tas. **V.** Jube domne. **Benedictio.**
Deus Pater omnipotens.

Lectio iv.

Andreas Apóstolus Bethsaïdæ
natus, qui est Galilææ vi-
cus, frater Petri, discipulus Joán-
nis Baptistæ, cum eum de Chris-
to dicentem audisset: Ecce Ag-
nus Dei; secutus Jesum, fratrem
quoque suum ad eundem perduxit:
cùm postea unà cum fratre piscarétur
in mari Galilææ, ambo à præ-
tereunte Christo Dómino ante alios
Apostolos vocati illis verbis: Veni-

nite post me, faciam vos fieri piscatores hominum; nullam interponentes moram, & relictis retibus, secuti sunt eum. Post cujus passionem & resurrectionem, Andreas, cum in Scythiam Europæ, quæ ei provincia ad Christi fidem disseminandam obtigerat, venisset, deinde Epirum, ac Thraciam peragrasset, doctrinâ & miraculis innumerales homines ad Christum convertit. Post Patras Achæjæ profectus, & in ea urbe plurimis ad veritatem Evangelicam perductis, Ægeam Proconsulem prædicationi Evangelicæ resistentem, liberrimè increpavit, quod qui iudex hominum haberi vellet, Christum Deum omnium iudicem à deomnibus elusus non agnosceret.

R. Homo Dei ducebatur ut crucifigerent eum: pópulus autem clamabat voce magna, dicens: * Innoceus ejus sanguis sine causa damnatur. **V.** Cùmque dicerent eum ut crucifigeretur, factus est concursus populorum clamantium, & dicentium. Innocens. **Benedictio.** Christus perpétua.

Lectio v.

Tum Ægeas iratus, Desine, inquit, Christum jactare, cui similia verba nihil profuerunt, quò minus à Judæis crucifigeretur. Andream verò de Christo nihilominus liberè prædicantem, quod pro salute humani generis se crucifigendum obtulisset, impiâ oratione interpellat; ac demum hortatur, ut sibi consulens, diis velit immolare. Cui Andreas: Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cujus carnem posteaquam omnis pópulus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perse-

verat & vivus. Quamobrem irâ accensus Ægeas, jubet eum in carcere detrudi: undè pópulus Andream facile liberasset, nisi ipse sedasset multitudinem, vehementius rogans, ne se ad optatissimum martyrii coronam properantem impedirent.

R. O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: **V.** Ut per te me recipiat, qui per te me redemit. **V.** Beatus Andreas expansis manibus ad cœlum, orabat, dicens: Salva me bona crux. Ut per te me. **Benedictio.** Ignem sui amoris accendat.

Lectio vij.

Igitur paulò post in tribùna productum, cùm Ægeas crucis extollentem mysteria, sibi que suam impietatem exprobrantem, diutius ferre non posset, in crucem tolli, & Christi mortem imitari jussit, Adductus Andreas ad locum martyrii, cùm crucem vidisset, longè exclamare cepit: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quaesita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Itaque cruci affixus est: in qua biduum vivus pendens, & Christi fidem prædicare numquam intermittebat, ad eum migravit, cujus mortis similitudinem concupierat. Quæ omnia Presbyteri & Diaconi Achæjæ, qui ejus passionem scripserunt, se ita, ut commemorata sunt, audisse & vidisse testantur. Ejus ossa primùm Constantino Imperatore Constantinopolim, deinde Amalphim translata sunt. Caput, Pio Secundo Pontifice, Romam allatum, in

in Basilica Sancti Petri collocatum est.

R. Expandi manus meas totâ die in cruce ad pópulum non credentem, sed contradicentem mihi: * Qui ambulat vias non bonas, sed post peccata sua. **V.** Deus ultionum Domine, Deus ultionum liberè egit: exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis. Qui ambulat. Glória Patri. Qui ambulat.

In tertio Nocturno, Antiphona.

Non me permittas, Domine, famulum tuum à te separari: tempus est ut commendetur terræ corpus meum, & me ad te venire jubeas.

Psalmus. Confitebimur tibi Deus, ut in Communi Apostolorum. vij.

Añ. Andreas verò rogabat pópulum, ut non impediret passionem ipsius. **Psalm.** Dominus regnavit, exultet. ix. **Añ.** Accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: ut per te me recipiat, qui per te me redemit, alleluia. **Psalm.** Dominus regnavit, irascantur. ix. **V.** Nimis honorati sunt amici tui Deus.

R. Nimis confortatus est principatus eorum. Pater noster. **Absolutio.** A vinculis. **V.** Jube domne. **Benedictio.** Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 4. c.

In illo tempore: Ambulans Jesus iuxta mare Gallilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homilia 5. in Evangelia.

Audistis, fratres charissimi, quia ad unius jussionis vocem Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nubis hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de pramio æternæ retributionis audierant: & ta-

men ad unum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, oblitii sunt. Quanta nos ejus miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterrémur, & tamen vocantem sequi contemnimus?

R. Oravit Sanctus Andreas, dum respiceret in cœlum, & voce magna clamavit & dixit: Tu es Deus meus, quem vidi: ne me patiaris ab impio iudice deponi: * Quia virtutem sanctæ crucis agnovi. **V.** Tu es magister meus Christus, quem dilexi, quem cognovi, quem confessus sum: tantummodo in ista voce exaudi me. Quia. **Benedictio.** Cujus festum cœlimus.

Lectio vij.

In cœlo jam sedet qui de conversatione nos admonet: jam jugo fidei colla Géntium subdidit, jam mundi glóriam stravit, jam ruinis ejus crebrescentibus, districti sui iudicii diem propinquantem denuntiat: & tamen superba mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserre, quod quotidie perdit invita. Quid ergo, fratres charissimi, quid in ejus iudicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis sæculi nec præceptis flectimur, nec verbèribus emendamur?

R. Videns crucem Andreas exclamavit, dicens: O crux admirabilis, o crux desiderabilis, o crux quæ per totum mundum rutilas: * Suscipe discipulum Christi: a se per te me recipiat, qui per te moriens me redemit. **V.** O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti. Suscipe discipulum. Glória Patri. Suscipe. **Benedictio.** Ad societatem.

Lectio ix.

Sed fortèssè aliquis tacitis sibi cogitationibus dicat: Ad vocem Dominicam uterque iste piscator, quid,

quid, aut quantum dimisit, qui penè nihil habuit? Sed hæc in re, fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certè nos & habita cum amore possidemus, & ea quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit.

Te laudamus. 12.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Salve crux pretiosa, suscipe discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus. *Psalm.* Dominus regnavit, cum reliq. 13.

Añs. Beatus Andreas orabat, dicens: Domine Rex æternæ gloriæ, suscipe me pendente in patibulo.

Añs. Andreas Christi famulus, dignus Dei Apostolus, germanus Petri, & in passione socius. *Añs.* Maximilla Christo amabilis, tulit corpus Apostoli, optimo loco cum ar matibus sepelivit. *Añs.* Qui persequebantur justum, demersisti eos Domine in inferno, & in ligno crucis dux justi fuisti.

Capitulum. Rom. 10. b

Fratres, Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur.

Hymnus.

Exultet orbis gaudiis,
Cælum resulet laudibus,
Apostolorum gloriam
Tellus & astra concinunt.
Vos sæculorum iudices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.
Qui templa cæli clauditis,

Serâsque verbo solvitis,
Nos à reatu noxios
Solve jubete, quæsumus.
Præcepta quorum protinus
Languor salusque sentiunt;
Sanate mentes languidas:
Angete nos virtutibus:

Ut cum redibit Arbitr
In fine Christus sæculi,
Nos sempiterni gaudii
Concedat esse cōpotes.
Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæculum per omne glória. Amen.

V. Annuntiaverunt opera Dei.

R. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Benedictus, Antiphona.

Concede nobis hominem justum,
redde nobis hominum sanctum, ne
interfacias hominem Deo charum,
justum, mansuetum, & pium.

Oratio.

Majestatem tuam, Domine,
suppliciter exoramus: ut sicut
Ecclesiæ tuæ beatus Andreas
Apostolus exiit predicator & rector;
ita apud te sit pro nobis per
petuus intercessor. Per Dominum.

Ad Tertiam, Añs. Beatus Andreas.

Capitulum. Fratres, Corde enim creditur, ut supra.

R. br. In omnem terram * Exiit sonus eorum. In omnem. *V.* Et in fines orbis terræ verba eorum. Exiit. Glória Patri. In omnem. *V.* Constitues eos principes super omnem terram. *R.* Mémores erunt nominis tui Domine.

Ad Sextam, Antiphona.

Andreas Christi famulus.

Capitulum. Rom. 10. c

Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

R.

DIE II. DECEMBRIS.

In Festo S. Bibianæ Virg. & Martyr. Semiduplex.

Omnia dicuntur de Comuni Virginum, lxxj. exceptis his quæ hic sunt propria.

Oratio.

Deus omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore martyrii palmam conjunxisti: mentes nostras ejus intercessione tibi charitate conjunge; ut amoris periculis, præmia consequamur æterna. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

Bibiana Virgo Romana, nobili genere nata, Christianâ fide nobilior fuit. Ejus enim pater Flavianus sub Juliano apostata impiissimo tyranno Expræfectus, servilibusque notis compunctus, ad aquas Taurinas deportatus, martyr occubuit. Mater Dafrosa, & filia primum conclusa domi, in inediâ conficerentur; mox relegata mater extra Urbem, capite plexa est. Mortuis autem pijs parentibus, Bibiana cum sorore sua Demetria bonis omnibus expoliatur: Apronianus Urbis Prætor, pecuniis inhians, sorores persæquitur, quas humanâ prorsus ope destitutas, Deo miserabiliter, qui dat escam esurientibus, enutrientem, cum vivaciore, vegetioresque conspexisset, vehementer est admiratus.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te miserabiliter dextera tua. *V.* Spécie tuâ & pulchritudine tuâ intendè, prospere procedè, & regna. Et deducet.

LECTIO V.

Suadet nihilominus Apronianus, ut veneretur deos Gentium, amissa ideo opes, Imperatoris gratiam,

R. breve. Constitues eos principes * Super omnem terram. Constitues. *V.* Mémores erunt nominis tui Domine. Super. Gloria Patri. Constitues. *V.* Nimis honorati sunt amici tui Deus. *R.* Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Nonam, Antiphona.

Qui persequebantur justum.

Capitulum. Rom. 10. e

Isalas enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *R. br.* Nimis honorati sunt * Amici tui Deus. Nimis. *V.* Nimis confortatus est principatus eorum. Amici. Glória Patri. Nimis. *V.* Annuntiaverunt opera Dei. *R.* Et facta ejus intellexerunt.

Ad Vesperas, Añs. Salve crux pretiosa, cum reliquis de Laud. 766. *Psalm.* Dixit Dominus, cum reliquis in secundis Vesperis de Comuni Apostolorum. xj. *Capitulum.* Fratres, Corde enim creditur. *Hymnus.* Exulter orbis gaudis.

V. Annuntiaverunt opera Dei.

R. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum pervenisset beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, exclamavit & dixit: O bona crux, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te.

Oratio. Majestatem tuam Domine, ut supra.

FESTA DECEMBRIS.

Ante Adventum prima die non Impedita dicitur Officium Defunctorum.